

# MELISSA




EUROPAEA FOLIA SEXIES IN ANNO LATINE EDITA

Avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan - B-1040 BRUXELLIS. Tel. (02) 735 04 08

Editor responsalis: Gaius LICOPPE - Compositrix: Francisca DERAEDT

Bureau de dépôt: 1040 Bruxelles 4 - Afgifte kantoor: 1040 Brussel 4

*QUID NOBIS HODIE PROPONIT MELISSA ?*



... prooemium persuasibile ! Nam nonnulli nos  
rogant quid respondendum sit hominibus, qui de  
Latinitate viva dubitant.

ESP p. 2

... promulsidem ! Novum annum incohamus in  
odoribus specierum aromaticarum.

ESP p. 4

... scientiam astronomicam ! Scitisne cur nox sit  
nigra ? Sciuntne ipsi astronomi ?

ESP p. 5

... anthologiam ! Postquam fasciculo praeterito  
commentarios invenimus, q.t. "Alaudae", ecce nunc  
"Latine".

ESP p. 8

... musas ! Quin etiam ex longinqua Iaponia alla-  
tas !

ESP p. 12

... portentum ! Incredibile sed verum: accidit ut  
Mahumetani fiant Christiani !

ESP p. 13

... Latinos libros ! Latinos phorodiscos !

ESP p. 14

# DE NONNULLIS VULGARIBUS INTERROGATIS

**A**nte nonnullas septimanas strenuus sodalis circuli nostri Latini, iuvenis medicus c.n. Robertus Deprez, nos litteris monuit sibi semper easdem interrogationes opponi ab hominibus, quos ad Latinitatem vivam colendam alicere conatur:

- *quomodo hodie lingua Latina usurpari possit;*
- *num lingua Latina hodierna pura sit an "coquinaria";*
- *num in textibus recentioribus sententiae perlongae et difficillimae inveniantur;*
- *num Latini locutores multi sint;*
- *cur de Latinitate viva nihil usquam audiatur.*

His interrogationibus ab aequalibus nostris vulgariter obiectis, quid scienter sit respondendum non statim patet. Confiteor me multis annis postquam Latinitati vitae operam dare coepi responsa satis corroborata invenisse. Quare non solum sodali nostro privatim respondi, sed putavi non inutile fore sententiam meam divulgare, quae usui esset Latinitatis vitae propagatoribus.

\*  
\* \*

- *Quomodo hodie lingua Latina usurpari possit.*

Non miror si populares nostri hanc quaestionem proponunt; ego enim ante viginti circiter annos idem interrogavissem, quamquam per sex annos et multas horas septimanatim linguam Latinam in collegio didici. Mihi in mentem non venit hanc linguam nostris temporibus ad usum cottidianum adhiberi posse, antequam anno 1973 superstitem Latinitatis vitae orbem fortuito inveni. Tunc animo volvi haec: "Potestne fieri ut nostra dilacerata Europa authenticum sermonem communem habeat?"

Clades impotentiaque Europaea post alterum bellum mundanum me adulescentem iam contristabat. Spes nova orta est ex inceptis Europae cuniendae, sed mihi persuasum erat hunc scopum attingi vix posse, nisi gentes Europae ad minimum haberent communem sermonem. Intra et circa me interrogabam: "Potestne sermo Latinus Europae cuniendae auxilio esse?" Imprimis dubitavi essetne lingua Latina ad usum hodiernum apta. Restamen mihi tanti momenti esse videbatur, ut eam experiri statuerem. Nunc expertus scio linguam Latinam ad omnia hodierna tractanda

idoneam esse. Praeterea de huius linguae latissimo usu proximis superioribus saeculis permulta comperi, quae me celaverant magistri mei.

Experientia mea non est unica. Quis nostrorum aequalium scit innumerabiles esse libros Latine conscriptos a tempore Renascentiae in omnibus Europae regionibus? Non solum loquor de libris religiosis vel theologicis, sed de libris iuridicis, mathematicis, scientificis, exploratoriis, qui in regionibus tum catholicis cum protestanticis editi sunt. Ex innumerabilibus auctorum nominibus haec paucissima produco sine dilectu: sunt Villelmus Harvey, Iohannes Napier Angli; Renatus Descartes, Iohannes Jaurès Francogallii; Leonardus Euler, Iohannes Bernoulli Helvetii; Godefridus Villelmus Leibnitz, Carolus Fridericus Gauss Germani; Marcellus Malpighi, Alexander Volta Itali; Desiderius Erasmus, Hugo Grotius Nederlandi, etc.

Saeculis XVI, XVII, XVIII linguam Latinam callent atque inter se adhibent omnes exculti Europae homines. In studiorum universitatibus Latine docetur usque medium XIX saeculum: Lovanius usque annum 1835, in Germania diutius.

Cum tot homines nobis proximi Latine scribere atque de materiis nobis adhuc familiaribus disserere potuerint, cur nos idem facere non possimus?

- *Num lingua Latina hodierna pura sit an "coquinaria".*

Humanistae temporis Renascentiae magnam operam dederunt ad normam Aureae Latinitatis in usum reducendam. A quo tempore auctores, qui dicuntur neolatini, hanc normam generaliter respexerunt. Modus tamen scribendi non solum pendet ab indole singulorum auctorum, sed etiam a genere scripti. Tria scribendi genera solent distingui: humile, cum de rebus familiaribus agitur; sublime, si quadam eximia occasione data Ciceronis orationes aemulari volumus; mediocre, cum in narrando, describendo vel disputando magis subtiliter quam eleganter oportet scribere.

Cum in scholis nostris solum elegantissimi antiquarum litterarum flores seligantur, non mirandum est si discipuli putant hoc scribendi genus esse "puram" Latinitatem et cetera scripta Latina, praesertim recentiora, esse "coquinariam" Latinitatem. Hunc errorem discipulis inculcant multi docentes, quamquam bene sciunt, exempli



## Quid percontantibus hominibus respondeamus

gratia, linguam Francogallicam talem, qualem cottidie legimus in libris, periodicis vel diariis, valde imparem esse linguae auctorum sicut Corneille, Racine, Hugo, Valery, Proust etc.

- *Num in textibus recentioribus sententiae perlonga et difficillimae inveniantur.*

Notanda exstat differentia inter auctores antiquos et neolatinos. Antiquitus libri manu scribebantur in voluminibus papyraceis vel pergamentis magni pretii. Cum his de causis pauca ederentur exemplaria, liber plerumque publice alta voce recitabatur. Si quis fortunatus homo exemplar possidebat, ipse textum non legebat, sed eum auscultabat ex ore cuiusdam servi vel liberti erudit. Oportet ergo nobis in animum inducamus auctores antiquos non scripsisse ut legerentur, sed ut audirentur. Hac de causa eorum textus saepe vix intelleguntur prima lectura, etiam a linguae Latinae peritis.

Hae condiciones valde mutatae sunt a Renascentiae tempore, quo librorum textus typis et prelo in chartis ex ligno contrito confectis imprimi coeperunt. Hac de causa magna exemplariorum copia multo facilius celeriusque producta est. Praeterea homines textus ipsi tacite legerunt: cum iam non essent auditores sed veri lectores, scribendi modus necessario aptandus erat, ut textus prima lectura intellegenterentur. Quod iocose quondam enuntiavit cathedralicus professor Bruxellensis, qui mihi dixit hoc: "Scripta in Melissa tam facile lego, ut mihi vix videantur Latine esse scripta!"

- *Num Latini lectores multi sint.*

Hodie sunt pauci et sparsi, unde fit ut nimis raras occasiones inter se colloquendi habeant. Quae cum ita essent, in diversis Europae regionibus conditi sunt circuli Latini, quorum ordinatae sessiones occasionem praebent sermonis Latini exercendi. Praeterea quotannis instituuntur seminaria Latina, quae participant Latinitatis cultores ex diversis regionibus oriundi. Huius generis seminariorum mihi est experientia satis longa, i.e. ab anno 1979. Quare autumare possum eorum effectum esse singularem. Nam in seminariis linguis vernaculis addiscendis participes solum conantur cuiusdam nationis modum loquendi assimilare. In seminariis Latinis, participes dum linguam Latinam exercent, paulatim sentiunt animum suum dilatari ad modum ingentis veterisque orbis Latini; ab exiguorum nationalismorum cancellis liberati, praestantioris humaniorisque civitatis maiestatem ingenue participant.

- *Cur de Latinitate viva nihil usquam audiatur.*

"Quia non licet!" Hoc tantum post multis annos intellexi. Sed tu, candide lector, fortasse dices: "Hoc fieri non potest; maxima libertate fruimur in civitatibus nostris." Certe nulla lege aperte prohibetur linguae Latinae usus; tacite tamen, insidiose sed firmiter excluditur. Rarissime factum est ut quidam televisionis diurnarius aliquid de vivae Latinitatis cultoribus in publicum exhiberet. Duae in Belgica brevissimae emissiones televisificae rem tetigerunt; altera rettulit de Brugarum lustratione Latina, altera de quadam Bruxellensi sessione circuli nostri. Diurnarii, qui has emissiones praeparaverunt, nos cum studio favoreque auscultaverunt, sed inter ipsam emissionem patuit rem nostram tantum esse ludum, et paucissimorum: cur?

Peiora passi sumus in Francogallia. Nam cum haberemus Meldis (v. Meaux) Latinam sessionem internationalem, diurnarii televisionis Franco-gallicae nos visitaverunt atque instrumentis suis nonnullas scaenas receperunt, quibus demonstrabant consuetudines inter diversas gentes Latine institutae. Ea vero, quae receperunt diurnarii, non sunt emissae. Cum interrogaremus cur, nobis responsum est scaenas re vera non esse receptas propter instrumentorum defectum... Quod creditis qui vult!

His aliisque occasionibus mihi licuit experiri regimina Europae occidentalis obstare ne reflorescat usus linguae Latinae. Hoc non est mirandum si duorum superiorum saeculorum historiam respicimus.

Regimina magis magisque nisa sunt in nova notione politica "nationis". Omni modo, sed imprimis linguae "nationalis" cultu, conata sunt suae nationis tum singularitatem cum uniformitatem augere. Ad plenum effectum infelicititer pervenerunt, cum nunc temporis diversarum Europaearum nationum gentes persuasum habeant se inter se insuperabiliter differre.

Quod consilium non mutaverunt hodierni politici: nam hoc eis maxime prodest. Ex una parte videntur operam dare ad civitatem Europaeam condendam, ex altera parte singularitates nationales pro suo bono maxime colunt.

Oportet populares nostri sibi consciis sint harum historicarum condicionum, ne diutius illudi pergent a regentibus. Soli Finni, qui emissiones Latinas instituerunt, videntur censere nullam esse discrepaniam inter suam singularitatem nationalem et universalitatem cultus nostri Latini.

Gaius LICOPPE



# 1. PROMULSIS


SCRIPSIT FRANCISCA DERAEDT

Nec sibi cenanum quivis temere arroget artem,  
non prius exacta tenui ratione saporum.

*Hor. Sat. II 4 v. 35-36*

*Ante nonnullos annos institueramus seriem quandam symbolarum, quibus res variae narrarentur lingua quam maxime simplici; titulus generalis erat hic: «Simplicissime».*

*Nuper autem cum nonnulli lectores rogaverunt ut paginae simplicissime scriptae iterum proponerentur, tum nobis in mentem venit aliquid conscribere de speciebus aromaticis. Sunt tam*



Imprimis loquamur de verbis ipsis. Verbum Francogallicum, quod est «épice», circiter annum 1150 ortum est ex «specie». Hoc autem verbum est valde generale; propterea in sera Latinitate addi solebat adiectivum. «Species aromatica» sic designat aromata et condimenta.

Estne aliqua differentia inter has notiones? Si quaedam est, incerta est. Tamen, ut videtur,

- species aromaticae potius pertinent ad gustum, sicut piper;
- aromata pertinent ad odorem, sicut crocus sativus;
- condimenta sunt compositiones, quibus cibi coniuntur. Sicut: sinapis, acetum, «picallili» quod dicitur.


Tamen, cum distinctio non satis constet, nos omnia consulto miscebimus.

Ante annum 1830, quo nata est chemiosynthesis, praeter pauca mineralia (sicut sal), praecipua ciborum ornamenta sunt plantae. Propter suam formam, odorem coloremque, species aromaticae afferunt aliquid mirabile. Orexin excitant. Cibos odorant. Vitae cottidiana relaxant tristitiam. Occultare sciunt carnes sive male coctas sive parum recentes. Insuper habent virtutes therapeuticas. Itaque magni constant.

Nostris temporibus miraculum evanuit; nam chemici sciunt quid insit, cur placeant, quid prosint. Ceterum coqui magis, quam antea, curant ut aromata bene congruant cum cibis: sic coniungitur

variae! Tam bonae! Tam sapidae! Tam attractivae!

*De eis tractare possumus sub omni aspectu: historico, oeconomico, botanico, culinario, medico, chemico, culturali. Inde initium novae seriei, quae erit et simplicissima et aromatica et, ut speramus, frugifera.*



caro bubula cum pipere viridi, pullus gallinaceus cum mixtura c.n. «curry», ficatum cum tubere, caro agnina cum thymo, caro cuniculi cum sinape, rana cochleaque cum allio, caseus caprinus cum porro sectivo sive allio schoenopraso (Fr. ciboulette), crimum «adustum», quod dicitur, cum cinnamomo (Fr. crème brûlée à la cannelle), multa alia cum multis aliis quae mihi enumeranti movent salivam.


Nobis omnia sunt in promptu, sed species aromaticae diu fuerunt signum opulentiae. Medio Aevo homines dicere solebant res magni pretii esse «caras sicut piper». Ceterum species aromaticae illo tempore adhibebantur pro pecunia, unde haec locutio: «species solvere», i.e. tributum pendere. Similis mos erat in iudiciis: litigatores iudicibus aromata dabant pro dono. Haec consuetudo servata est usque ad XVII saeculum, sed pecunia paulatim substituta est in locum specierum... unde iocus, quem Iohannes Racine his fere verbis narrat: «Species suas etiam atque etiam poscebat; ego stulte cucurri ad culinam, piper quaesitus...» (Iohannes Racine, *Les Plaideurs*, II 7).

Ergo ad divites pertinebant aromata, i.e. non solum cibi exquisiti, sed etiam bona valetudo. Nam, cum species etiam haberent proprietates pharmacologicas, condimentarii et pharmacopolae diu coniungebantur in eodem collegio. Fama horum collegiorum erat magna. Exempli gratia, condimentarios Turones (v. Tours) Ludovicus XI rex Francogalliae donavit scuto gentilicio, cui inscripta erat haec sententia: «Lances et pondera



servant». Re vera non parvum officium erat «lances et pondera servare»: multae enim inveniebantur adulterationes - non semper voluntariae, cum deessent scientificae rationes plantarum legendarum.

Itaque illa collegia habent magnam auctoritatem. Hoc nonnullis displicet. Post Francogallicam Revolutionem monopolia non ita amantur. Monopolium pharmacopolarum anno 1791 tollitur. Qui est effectus? Venditio arsenici fit libera... Talia



problemata novi rectores non exspectaverant. Tandem intellegunt non omnia fuisse abolenda atque pharmacopolas restituunt in suum monopolium.

Hodie pharmacopolea, propterea quod vix fabricant remedia, nonnumquam vocantur «condimentarii»: peiorativa comparatione ambae artes iterum sunt coniunctae. Condimentarii vero paene dispauperunt; nam omnia in pantopoliis inveniuntur.

## CUR NOX SIT NIGRA

REFERT GAIUS LICOPPE

Estne haec quaestio inepta? Re vera ita assuefacti sumus noctem cum tenebris sociare, ut vix nobis in mentem veniat de tenebrarum natura cogitare. Mathematici tamen hanc quaestionem animo agitant a tempore Newtoni, sed adhuc frustra conantur ei certum responsum dare. Ante Newtoni tempus Universum putabatur constare e finita mutitudine stellarum haerentium vagantiumque, sparsarum in vacuo infinito; quare nemo tunc mirabatur caeli circumflexum esse obscurum.

Exeunte XVII saeculo, Newtonus, qui legem naturalem gravitatis universalis invenerat, demonstravit finitum siderum sistema necessario collapsurum esse propter hanc ipsam legem. Cum hoc fieri non videretur, proposuit aliam Universi formam, quae esset spatium infinitum stellisque modo uniformi sparsum.

Anno 1744 astronomus Helvetius nomine Iohannes Philippus Loys de Cheseaux suas mathematicas cogitationes de hac re divulgavit: si re vera Universum constaret ex infinito stellarum numero, caeli circumflexus multo plus niteret quam ipse discus solaris; iam si Universum tres miliones miliardorum «luminannorum»<sup>1</sup> pateret, caelum esset lucis saturum; quid si esset infinitum!

Propter hanc mathematicam demonstrationem docti dubitatione valde aestuaverunt. Anno 1823 medicus Germanus nomine Villelmus Olbers sua diligentissima studia de hac re divulgavit, quibus

hanc explicationem proposuit: Universum inter sidera non esse vacuum; gazum interesse, quo maxima lucis pars absorberetur.

Haec vero explicatio non diu restitit; nam contraria erat legibus naturalibus scientia thermodynamica inventis. Secundum has leges quodcumque gazum, cum quandam energiam absorbeat, sicut energiam luminosam, calefit atque ipsum lumen emittit.

Quae cum ita essent, medio XIX saeculo physici pergebant adhaerere theoriae Universi infiniti stellis modo uniformi sparsi, quam proposuerat Newtonus, sed explicare non valebant cur caelum esset obscurum.



\*  
\* \*

Nolint ei, qui praecipue in litteras incumbunt, putare scientias naturales a se alienas esse! Res enimmira: anno 1848 veri visionem primus habuit... Edgardus Poe Americanus poeta rerumque portentosarum fabulator. Ille suspicatus est maiorem siderum partem tam longe a Terra abesse, ut eorum lux usque nos pervenire nequiret.

Luna a Terra 380.000 chiliometra abest. Ergo circiter una secunda opus est lucis radiis, qui de Luna ad Terram perveniant; omnibus enim hodie notum est lucem intra unam secundam 300.000 chiliometrorum traicere (quae celeritas, qua nulla maior putatur possibilis, signari solet littera C). Quam ob rem nos Terrae incolae talem Lunae aspectum videmus, qualis fuit una secunda ante. Haec differentia certe est neglegenda. Aliter vero res se habet cum agitur de longinquiore corpore caelesti. Galaxias<sup>2</sup> Andromedae est longinuissimum corpus caeleste, quod solis oculis adspicere possimus. Inde duo miliones annorum necessarii sunt ut ad nos perveniant lucis radii. Itaque hic galaxias nobis videtur nitere ut re vera nitebat ante duos miliones annorum. Ergo «Universum visibile» est imago mendax quae cum re eo minus congruit quo longius absunt corpora caelestia.


\*  
\* \*

Decursu temporis stellarum notitia augetur, unde crescit nova scientia «astrophysica» vocata. Compertum est stellas non esse aeternas: quondam acciduntur, diu lucent sed postea extinguntur. Sol noster computatur ante annorum quattuor miliarda et semis lucere coepisse.

In qua notitia nitens Villemus Thomson, Anglus physicus, notior altero nomine quod est Lord Kelvin, enuntiavit hoc: si omnes stellae eandem aetatem habent ac sol, «Universum visibile» a Terra patet 4,5 miliarda luminannorum. Nam si exstant sidera ultra hanc distantiam, fieri non potest ut eorum lux ad nos iam pervenerit, id quod exprimi potest hac formula: radius Universi visibilis (R) = aetas stellarum (AS) x velocitas lucis (C).

Quattuor miliarda et semis luminannorum est distantia immaniter minor quam tres miliones miliardorum luminannorum, quae est amplitudo Universi quam Iohannes Philippus Loys de Cheseaux computaverat necessariam esse ut caelum fieret lucis saturum. Non mirum ergo, aiebat Lord Kelvin, si caelum est obscurum!

Kelvini explicationem plerique physici non acceperunt. Nam si omnes stellae eodem tempore natae sunt, necessario agitur de «creatione», «creatio» autem pertinet ad «obscurantismum»<sup>3</sup> religiosum quod scientifici huius temporis oderunt. Principes enim ecclesiarum Christianarum docere pergebant Universi creationem factam esse secundum Genesis narrationem, id quod cum scientiarum recentioribus inventis congruere omnino non poterat. Quem dogmatismum<sup>4</sup> vehementer impugabant scientifici; tamen ipsi agebant pro thesi creationi contraria sed sine firme argumento scientifico: Universum secundum eorum opinionem



non creatum est sed semper exstitit continetque stellas variarum aetatum. Cur nox esset nigra, explicare non valebant.


Ineunte XX saeculo hanc thesin labefecit Americanus astronomus nomine Eduinus Hubble. Qui novo giganteoque telescopio montis Wilson utens animadvertisit omnes galaxias a nobis discedere; praeterea alii galaxiae ab aliis eo celerius discedunt, quo maiore distantia separantur. E qua observatione patebat Universum non esse stativum, ut putabant fere omnes physici, sed continuo expandi. Ut Universi expansionem nobis mente fingere facilis possimus, ut amur comparatione quadam: postquam in cute follis inflabilis multos punctos quasi stellas depinximus, follem continuo inflamus; tunc animadvertisimus alii puncti ab aliis regulariter removeri eodem modo ac astra in Universo.

Cum physici hac irrefutabili observatione notionem Universi stativi relinquere cogerentur, novam formam imaginati sunt, quae tamen servaret notionem aeternitatis Universi. Enuntiaverunt Universum esse ortum continuum perpetuumque. Unus e tribus Anglis astronomis qui hanc theoriam excogitaverunt, Hermannus Bondi nomine, etiam de caeli obscuritate proposuit novam explicationem.

Quo magis augetur celeritas cuiusdam sideris lucentis a nobis discedentis, eo magis ad rubrum tendit lux, quam ab eo accipimus (est effectus de inventoribus Doppler et Fizeau nominatus); si celeritas sideris satis magna fiet, eius lux contorquetur ultra rubrum colorem, i.e. extra spectrum visibile... atque fiet invisibilis! Haec est causa cur longinuissimorum astrorum, quorum celeritas est maxima, lucem percipere non possimus, ut medio XX saeculo autumabat Hermannus Bondi, qui iocose adiungebat: «Domo exite noctu atque spectate caelum obscurum; hoc ipso probatur Universum expandi».

\*  
\* \*

Ex theoria expansionis Universi necessario



oriuntur duae maioris momenti quaestiones: quousque expandetur Universum? A quo tempore atque a quo statu coepit expandi? De quibus multum computaverunt cogitaveruntque astronomi, ut est eorum mos.

Audaciores astronomi, inter quos Belga c.n. abbas Lemaire, hypothesis sine mora protulerunt. Si ad Universi praeteritum respicimus, eius expansio fit contractio usque ad quoddam initium, sed, secundum leges thermodynamicas, quo angustior fit Universum eo calidior ( $T = 1/R$ ;  $T$  = temperatura;  $R$  = radius Universi), atque si tanta fuerit contractio ut Universi radius ad zerum tenderet, mathematice patet temperaturam ad infinitum auctam esse! Talis status vix intellegibilis a physicis vocatur «singularitas», cum notis naturalibus legibus comprehendendi non possit. Haec hypothesis, qua Universum videtur initium cepisse a quadam fantastica energiae scintilla, familiariter appellatur onomatopoeia «Big Bang».

\*  
\* \*

Physici tamen non solum onomatopoeias fingunt, sed multum cogitant multasque possibilitates experimentis probandas imaginantur. Anno 1948 Americanus origine Russus, nomine Georgius Gamow, hoc experimentum excogitavit: in praeterito longinquo, cum Universi temperatura maior esset quam tria miliardo graduum, status materiae erat id quod physici vocant «plasma»<sup>5</sup>. Tunc, ait Gamow, electronia libera tantum impediebant photoniorum (i.e. lucis corpusculorum) cursum, ut nulla lux oriri posset: Universum erat necessario obscurum! Sed tempore quo temperatura infra tria milia graduum descendit, pleraque electronia capta sunt nucleis atomicis circum quos velocissime circumagebantur. Quam ob rem cursus photoniorum iam non est impeditus atque Universum translucidum subito factum fulgere giganteo accensum est. Secundum astronomi sententiam, si hoc evenit, vestigium reperire debemus huius eventi, quod habeat formam

radiationis specificae sed debilissimae. Et re vera multis annis post, i.e. anno 1965, haec specifica radiatio fortuito inventa est ab Americanis astronomis Arnone Penzias et Roberto Wilson.

Hac observatione nonnullisque aliis, quas inutile est hic exponere, confirmabatur hypothesis scintillae originalis Universi «Big Bang», quae computatur ante circiter quindecim miliarda annorum ortam esse.

Quae cum ita essent, Universum iam non videbatur esse ortum continuum perpetuumque, sed habere certum initium aetatemque finitam. Iterum ergo valebat caeli obscuritatis explicatio, quam saeculo ante iam proposuerat Edgardus Poe: stellae non possunt vetustiores esse quam ipsum Universum; cum hac de causa Universum visibile non pateat plus quam 15 miliarda luminannorum, longe abest ut satis magnum sit, quod caelum saturet luce stellarum. In huius dimensionis Universo, effectus Doppler-Fizeau obscuritatem caeli vix auget, contra opinionem Hermanni Bondi, quam supra rettuli.

Hodiernum statum quaestionis, quae pertinet ad noctem nigrum, breviter necnon poetice contraxit astronomus Americano-Vietnamus Trinh Xuan Thuan his verbis: «Proxima occasione, qua noctu luna nova contemplaberis firmamentum stellatum, recordare hoc pulcherrimum spectaculum tibi praeberi propterea quod Universum habet initium».

•

- <sup>1</sup> *distantia, quam intra unum annum emititur lucis radius, qui trecenta milia chiliometrorum singulis secundis transit, quodam neologismo nuncupanda est, cum sit mensura, qua utuntur recentiores astronomi ad Universum metiendum. Apud Carolum Egger legitur «annus luce mensus, ad hanc mensuram vocandam (Latinitas 77,51; cfr C. HELFER, Lexicon auxiliare, Saraviponti, Societas Latina, 1991, p.348). Haec tamen locutio nimis longa est, quam ut in scriptis de rebus scientificis facile adhibeatur. Quare neologismum hic propono, qui est «luminannus, i.*
- <sup>2</sup> *galaxias, ae m.: quo vocabulo iam antiquitus nuncupabatur Circulus Lacteus. Recentiores astronomi invenerunt multa alia stellarum systemata eiusdem generis ac nostrum c.n. Circulus Lacteus in Universo exstare. Talia systemata vocant galaxias.*
- <sup>3</sup> *obscurantismus, i: est mens eorum qui repugnant institutionem, rationem scientiarumque progressus.*
- <sup>4</sup> *dogmatismus, i: mens philosophica vel religiosa qua expresse repelluntur dubitatio et liberum iudicium.*
- <sup>5</sup> *plasma, atis n.: sensu hodiernorum physicorum est status materiae, ubi omnia electronia libere vagantur, cum nucleis atomicis retineri non possint propter nimiam temperaturam.*

# ANTHOLOGIA E "LATINE" (1882-1886)

SCRIPSIT THEODORICUS SACRÉ

## 1. C. STAUDER, EPITAPHIUM IOCOSUM [LATINE, III, 4, M. DEC. A. 1884, P. 102]<sup>1</sup>

Heic sepultus  
sempiterna oblivious jacet  
Tomaelurus  
illustri felina Melitensi muricida stirpe natus  
qui  
culinam praesertim et triclinium assidue coluit,  
puerulos, ut decet, scabit,  
tumentem arcuans caudam, exsibilans atque exspuns  
in canum nasum indignanter acutissims unguis tentavit,  
mordaces pulices indefessa cura vexavit,  
sed praecipue  
in exitu murium de foraminibus in pariete  
venit, vidiit, vicit, voravit;  
ast, proh dolor!  
dormientium aures sesquipedalibus modulis longas per noctes  
affligendo,  
evulsos juba pilos longe lateque  
dispergendo,  
late se diffundentem caudam pedibus cujuscumque inopinantis  
supponendo,  
impinguatus et incrassatus et somniculosus,  
venerabili tardaque senectute caecutiens  
(non adeo tamen ut, natus dolis, delicatiora fercula  
non videret, olfaceret, subrepticia calliditate abriperet)  
res noxia factus,  
eo implacabilis in odium offenditionemque coqui incurrit  
ut  
in cado (lateribus circa collum primum ligatis) submersus,  
recalcitrans  
et sacrilegas in Isidos et Osiridis sacrosancta nomina blasphemias  
felino idiomate ejaculans,  
plenam, ut patet, meritis ehu! ehu! vitam finierit;  
lunari aetatis suae anno sexto decimo,  
a Balahami asinae eloquio  
MMCCXXXV.

2. E.H.R., COLLOQUIUM [LATINE, III, 7, M. MART. A. 1885, PP. 184-187]<sup>2</sup>

A.- Contigitne tibi Quintilianum huic quaestioni respondentem legere?

B.- Minime vero. Mihi gratum feceris, si sententiam hujus scriptoris paeclari exposueris.

A.- Faciam ut potero. Primum dicit nonnisi optimum quemque esse legendum. Non omnia autem, quae optimi dixerint, esse perfecta.

B.- Nonne Horatius dicit bonum Homerum nonnumquam dormitare?

A.- Ita est (A.P. 359): Quintilianus dicit Demosthenem interim Ciceroni dormitare videri, ut Horatio Homerum.

B.- Nonne putat oratoris interesse legere poetas?

A.- Theophrastus, ait, ita judicavit. Ciceronem etiam ad hanc rem citat. Meministine ipsum eum dicere omnes artes, quae ad humanitatem pertineant, habere quoddam commune vinculum? (Pro Arch. 1)

B.- Memini. Legendis poetis animum ex forensi strepitu refici et aures convitio defessas conquiescere.

A.- Recte dicas; Quintilianus autem monet, non per omnia poetas esse oratori sequendos. Non decere oratorem libertate verborum et licentia figurarum uti, ut poetam.

B.- Nonne de singulis loquitur, qui oratori utils sunt?

A.- Coepit ab Homero, ut Aratus a Jove incipendum putat; hunc omnibus eloquentiae partibus exemplum et ortum dedisse.

B.- Nonne Horatius Homerum laudat?

A.- Dicit eum nil inepte moliri (A.P. 140). Versus Odysseae citat, quibus Musam invocat. Non polliceri, modo Cyclorum se magna illustriaque cantaturum; precari, ut Musa sibi virum dicat, qui mores et urbes hominum multorum viderit. Hoc modo non fumum ex fulgore, sed e fumo lucem dare. Quintilianus eundem laudat, quod in utriusque operis sui ingressu legem prooemiorum constituerit.

B.- Quae hic maxime in Homero comprobant?

A.- In magnis rebus sublimitatem, in parvis proprietatem. Eum et laetum et pressum, jucundum et gravem, non poetica modo sed oratoria virtute eminentissimum appellat. Verbis, sententiis, figuris humani ingenii modum excedere dicit.

B.- Amplissimis quidem verbis honorem reddit.

Suadetne discipulis, ut se ad alios poetas legendos dedant?

A.- Hesiodi, Theocriti, Arati, tanquam fratribus nobilium, mentionem facit, quibus modicam laudem reddit; Homerum autem omnes procul a se relinquere. Mens, ait, *multa magis quam multorum* lectione formanda. Summam vim elocutionis, vibrantes sententias, plurimum *sangui<ni>s* et nervorum apud Archilochum invenit.

B.- Nonne Archilochus primus iambos scripsit?

A.- Archilochum, ait Horatius, proprio rabies armavit iambo. Horatius se Sapphus et Alcaei exemplo defendit, quod eum imitatus sit.

B.- Nonne lyrici oratori prosunt?

A.- E novem lyricis praecipuis laudibus Pindarum extollit. Meministi Horatium credere eundem nemini imitabilem (C. IV,2). Stesichorum reprehendit, quod nimium effundatur, cui nisi id vitii esset, fore ut proximus Homerum aemulari posset.

B.- Nonne de antiqua comoedia loquitur?

A.- Ita vero. Dicit se nescire an ullam poesin post Homerum aut similiorem esse oratoribus aut ad oratores faciendo aptiorem.

B.- Quid de tragicis?

A.- Sophoclen et Euripiden Aeschylo anteponit. Euripiden, quod sermone magis oratorio generi accedat, atque dicendo et respondendo illis comparari possit, qui in foro diserti sint, dicit utiliorem oratoribus.

B.- Nonne oratoris refert cognoscere historias?

A.- Ita sane; Quintilianus autem putat plerasque horum virtutes oratori esse vitandas. Hunc neque Sallustianam brevitatem, neque Livii lacteam ubertatem decere.

B.- De quibus scriptoribus rerum loquitur?

A.- Thucydiden densum et brevem et semper sibi instantem appellat, Herodotum dulcem et candidum et fusum, Xenophonta inter philosophos habet.

B.- Quos oratores laudat?

A.- Demosthenen praecipue, quem *paene legem orandi* appellat; in eo nec quod desit nec quod redundet invenit. Aeschinen plus carnis, minus lacertorum habere dicit; Lysian subtilem esse et elegantem, Isocraten in inventione facilem, in compositione adeo diligentem, ut cura ejus reprehendatur.

B.- Nonne oratorem pracepta philosophorum

cognoscere oportet?

A.- Cicero, meministi, dicit se oratorem non ex rhetorum officinis, sed ex Academiae spatiis exstitisse (Orat. III. 12). Quintilianus etiam de divina quadam et Homericā eloquendi facultate Platonis loquitur. Stoicos probat, quod honesta suaserint, quanquam minus eloquentiae indulserunt.

B.- Nonne scriptores Romanos dignos, qui legantur, aestimat?

A.- Ita sane; per eos e<sup>ndem</sup> ordinem sequitur. De Vergilio verba Afri Domiti citat, quo praeceptore adolescens utebatur; eundem sibi interroganti quem crederet Homero maxime accedere, respondisse Vergilium secundum esse, propiorem tamen primo quam tertio. Putat Lucretium quidem legendum, quanquam difficilis sit; Varronem non spernendum; Ennium, sicut sacros lucos vetustate adorandum; Ovidium in partibus laudandum; Lucanum sententiis clarissimum et magis oratoribus quam poetis imitandum.

B.- Hoc judicium mihi placet. Quid de aliis?

A.- Dicit in Lucilio eruditionem miram cum acerbitate conjunctam; Horatium esse tersiorem et priorem (in saturis); Persium multum verae gloriae meruisse. Lyricorum autem Horatium fere solum esse dignum, qui legatur.

B.- Nihilne de comicis Latinis?

A.- Varro, ait, dicit Musas Plautino sermone locuturas fuisse, si Latine loqui vellent; scripta autem Terenti sibi elegantiora videntur.

B.- Quid de historiis?

A.- Non dubitat Sallustium Thucydidi, Livium Herodoto opponere. Laudat etiam Servilium et Aufidium; dicit superesse adhuc virum sa<sup>e</sup>culorum memoria dignum; non dubium est, quin Tacitum vivum in animo habuerit. Ciceronem maximis laudibus afficit, qui vim Demosthenis, copiam Platonis, jucunditatem Isocratis effingere sciat, ut jam Cicero non hominis nomen sed eloquentiae habeatur. Dicit in Caesare tantam vim esse, ut eodem animo dixisse, quo bellaverit, videatur. Post eos, sed longe, multos alios ponit. In Seneca multa admiratur, multa autem reprehendit. Utinam, ait, suo ingenio dixisset, alieno judicio. Haec fere noster Quintilianus. Dicit modesto et circumspecto judicio de tantis viris pronuntiandum, ne damnemus quae non intellegamus. Operae pretium est totum librum cognoscere; de copia verborum, de cogitatione, de imitatione scribit; exponit quomodo scribendum, quae scribenda maxime, quem ad modum facilitas loquendi paretur.

### **3. THOMAS I. GASSON, NASCITUR DEUS PUPER [IBID., PP. 181-184]<sup>3</sup>**

#### *Amri*

Huc ades, o Mered! Cur maestus, amice, recumbas?  
En pecudes ludunt muscosi margine fontis  
atque gemit sponsam queru jam turtur ab alta,  
vocibus et placidis Zephyri levis aura susurrat:  
tempora, mi Mered, fallamus arundine dulci.

#### *Mered*

Desine plura, precor; luctus me deprimit, Amri:  
nocte silente lupus clausum penetravit ovile  
surripuitque agnam, gratum quam munus avebam  
ferre meae Naomae; Naomes lux namque propinquat  
natalis. Teneram mater fera depulit agnam,  
hanc ego nutriti; me post erat usque secuta  
et surgente comes fugienteque lumine solis.

#### *Amri*

Tibia, quin audi, mulcebit tibia maestos  
eluet et curas, dabit et solatia fessis.  
Felix qui Musam meditari possit avena.  
Dic, age, laetitia voces mittamus ad auras,  
experiarnur utrum cantu me vincere possis;  
et tibi, si vincas, balantem largiar agnam -  
aspice, mi Mered, matris nunc ubera sugit.

#### *Mered*

Unde recusem, Amri? Ante alios tibi carus amicus  
esse volo. Ast agnum nequeo deponere tecum.  
Nescio quid - damae tamen est mihi lactea pellis,  
deponam hanc equidem, felix quam victor habebis.  
Ecce prope est Subael; nobis esto arbiter ille.

#### *Subael*

An vultis, pueri, calamo contendere agresti?  
Dicite. Carminibus vestris sit Musa benigna.  
Incipiet Mered, quem tu sectaberis, Amri.  
Et tollant salices resonantque cacumina montis,  
et nemora et colles mellitum nomen Iesu,  
qui decus est coeli, qui summa est gloria Judae,  
qui curas minuet, praebebit et otia nobis,  
quo nascente aetas mortalibus aurea surget.

#### *Mered*

Quales sunt agno per devia lustra vaganti  
pastoris voces, sitienti quale canorum  
desilientis aquae murmur de vertice saxi,  
vel qualis matri subolis vox prima pusillae,  
tale fuit carmen praeconis ab aethere missi,  
cum subolem peperit divam sanctissima Virgo.



## Ab oblivione vindicetur...

*Amri.*

Noctis erat medium, fulgebant aethere stellae,  
imum jamque cadens quaerebat Vesperus orbem,  
panduntur subito regalia limina coeli,  
alipedes astris delapsi, luce micantes,  
carminibus referunt coeli nova nuntia nobis:  
«Jam venit in terras Divini Patris imago».

*Mered.*

Egrediens Aurora Eoo littore pulchra est  
lunaque pulchra nitet radiis dum nubila findit,  
coelestisque cohors nobis pulcherrima visa est,  
at risus pueri longe speciosior illis.

*Amri.*

Tempore quo primum vidi te, candida proles,  
Eoi reges tibi munera larga ferebant:  
care puer, mihi sunt flores, sunt aurea mala,  
haec tibi donabo, fidi munuscula amoris.

*Mered.*

De coelis venit jam vera salutis imago,  
Christus adest olim praedictus carmine vatis;  
quo duce terra feret fruges intacta ligone  
et cunctae gentes aeterna pace fruentur.

*Amri.*

Ast ego pastorum conspexi primus Iesum,  
me, me pastorum primus conspexit et ille;  
provolvor genibus, blandis arridet ocellis,  
laetus et haec referto: «Salve, Rex gentis Hebraeae».

*Mered.*

Ex animis nostris labetur tempore nullo  
ridentis nobis facies pulcherrima matris;  
ductori pecoris veluti sunt pascua laeta,  
sic tua, Virgo parens, pastoribus ora fuere.

*Amri.*

Ut sola in campo quercus quae projicit umbras,  
ut platanus gelidi virides prope fluminis oras,  
ut montis Libani fragrantes culmine cedri,  
sic nobis pueri mitissima lumina divi.

*Mered.*

Regia progenies, robustas indue vires  
atque referre tuis properes solamina grata;  
huc ades, alme puer, nolito sistere gressum,  
aethere missa salus, ah te gens nostra requirit.

*Amri.*

Parvule, solve metus; fallent nec dextra fidesque,  
nec falle te noster amor: non firmior ilex  
telluris gremio, ramis nec vitis adhaeret,  
quam tibi pastorum junguntur pectora fida.

*Subael.*

En, palantur oves, pueri; cohibete vagantes.  
Quid de carminibus dicam? Quis munere dignus?  
Dulce canit Mered, respondet suaviter Amri,  
hic spoliis dignus, dignus tu, Mered, et agna;  
judice me, puero donanda haec munera divo,  
accipiet gratus, dignus majoribus ille,  
incipere, oh, faustus dignetur regna beata.

(Septimo Idus Martii)

\*  
\* \* \*

Ante ALAVDAS (1889-1895)<sup>4</sup> divulgatas prodibant Novi Eboraci annos 1882-1886 commentarii q.t. prior LATINE (1882-1885), posterior LATINE ET GRAECE (1885-1886). Ipsos in lucem edebat Edgardus Shumway (1856-1928) Massachusitanus, Latinitatis professor in studiorum universitate Rutgersiana Novobrunsvicensi Novocaesariensium (vulgo New Brunswick, New Jersey)<sup>5</sup>. Primo anno academico fasciculi singulis mensibus editi pagellasque octonas amplexi Latinos tantum textus habebant; dein additis appendicibus Anglice exaratis commentarii paulatim crevere. Inerant versus Latini (tam metrici quam rhythmici), dialogi, epistulae, excerpta e scriptoribus antiquis atque e Desiderio Erasmo, etc. Inter cooperatores autem numerabantur Catharina L. Bates (1859-1929) poetria et mulier admodum docta, Heribertus W. Smyth (1857-1937), vir litterarum Graecarum peritissimus<sup>6</sup>. Iohannes K. Lord (1848-1926), Latinitatis professor<sup>7</sup>, Carolus Wordsworth (1806-

1892) Scotus, filius fratris Gulielmi Wordsworth (1770-1850) celeberrimi poetae, episcopus Andreopolitanus idemque egregius poeta Latinus<sup>8</sup>, Samuel Brooks (1863-1931), vir paedagogiae peritus, Ernestus Huber, Goethei interpres Latinus, Wilsonius Novoscotus Canadensis, Catulli et Horati imitator, alii multi. Consilium autem commentarii Latine edendi praeter alios collaudavit Carolus ille Lewis (1834-1904), qui, iuvante Carolo Short (1821-1886), praeclarum lexicon Latino-Anglicum (quod «Lewis and Short» vulgo nuncupant) anno 1879 in lucem emisit.\*

<sup>1</sup> Constantinus Stauder parochus erat Neo-Eboracensis, interdum qui Musae Latinae inserviebat (cfr. *Latine*, III, 5, m. Ian. 1885, pp. 147-149).

<sup>2</sup> Dialogi in formam redactum est Quintiliani caput I libri decimi *Inst. orat.*

- 3 Thomas Ignatius Gasson e S.I. (natus in ducatu Cantii Anglorum anno 1859, denatus Baltimorae anno 1930), praceptoris munere fungebatur in Collegio Loyolano Baltimorensi. Haud spernendus erat poeta et interpres Latinus (i.a. Latinis versibus reddidit Iohannis Miltonii de nativitate Christi carmen); cfr. *Who Was Who in America. A Companion Volume to Who's Who in America, 1: 1897-1942 (...)* (Chicagine, 1960<sup>4</sup>), p.443.
- 4 De Ulrichsio, *Alaudarum editore*, plura dicenda erunt cum *Vocem Urbis legentibus proponemus*; cfr. D. Sacré, «Ab oblivione vindicetur Anthologia ex "Alaudis"», *Melissa*, num. 63 (1994), 8-11.
- 5 Cfr. *Who was Who*, o.c., p. 1123; *National Union Catalog*, s.v. *Graece et Latine*; D. Sacré, «Le latin vivant: les périodiques latins», *Les Etudes Classiques*, 56 (1988), p. 99.
- 6 Scripsit i.a. de Schilleri Lycurgo; cfr. *Who was Who*, o.c., p. 1152; D. Clay, «United States. Greek Studies», in *La filologia greca e latina nel secolo XX. Atti del congresso internazionale, Roma (...) settembre 1984*, Biblioteca di studi antichi 56, I (Pisis, 1989), pp. 263-294; W.M. Calder, *Studies in the Modern History of Classical Scholarship*, *Antiqua* 27 (Neapol, 1984), pp. 23-24; indicem bibliographicum compositum C.N. Jackson, «Herbert Weir Smyth», *Harvard Studies in Classical Philology*, 49 (1938), 1-21 - at desunt ibi opuscula Latina.
- 7 Ad editorem litteras dedit (14 X 1884) Heidelberga, cuius studiorum universitatem descripsit.
- 8 Cfr. *Dictionary of National Biography [of England]*, s.v.
- \* Iosepho Tusiani Neo-Eboracensi gratias ago maximas, quod me in fasciculis eis conquirendis admodum adiuvit.

## ALLEGORICE

CECINIT ARITUNEUS MIZUNO

謹賀新年 CVRA

Tellus, prodiderim qualia funera  
te mansura: caue rusticitatibus  
buccas squalidores  
deformisque. redi foris.  
  
quando, Bandusiae qui parium est, lacus 5  
limi congerie rupibus Alpium  
cessit Larius, eheu,  
pallescens niue candidis?  
  
sic iam non uiride est os uetus Ausonum:  
Lymphae limpida, perlucida sidera 10  
quae reddit, glacies, quam  
Lydus et Ligur inbibit,  
  
illuc soluitur. o scitior artium  
tellus, unde tibi reppereris sacra,  
uoces unde supernas, 15  
stellarum uiridissima et  
  
lento cura mihi, clausus erit polus,  
si lux intereat qua radies recens.  
deerit, quo redeatur,  
rara et culta tibi domus. 20

(u.12 'Lydus et' cfr. Hor. *Carm.* 1,15,36)

ALLEGORICE CECINIT K. IAN. A.V.C. MMDCXLVIII

ARITVNEVS MIZVNO

〒606 京都市左京区下鴨南茶ノ木町 31-3 水野有庸



# DE MIRO QUODAM MAHUMETANO

SCRIPSIT IOHANNES MARIA LECOMTE S.I.

De Mahumetanis his temporibus multum agitur. Praesertim in re religiosa eorum pertinacia satis cognita est... Perlegenti autem mihi veteres litteras Superiorum Societatis Iesu, in hunc textum incidi, quem vobiscum communico:

«Medio saeculo XVII, princeps quidam Mahumetanus, filius Sultaniregni Fez, a Melitensibus Equitibus in mari captus, Melitam ductus est. Postea in captivitate, religione Christiana affectus, et a Patribus Jesuitis in fide catholica eruditus, die 31 iulii 1656, in die festo Sancti Ignatii de Loyola, Societatis Iesu Fundatoris, baptismum recepit; pietatem autem suam et admirationem erga hunc Sanctum ut palam profiteretur, Balthassar a Loyola nuncupari voluit. Nec satis: nam aliquot post annos, apostolico zelo concives Christo lucrandi incensus, Societatem Iesu ingredi expetivit. Voti compos factus, noviciatum Romae anno 1661 ingressus est, et biennio post sacerdotio auctus. Genuae primo, dein

Neapoli operam dedit, plurimosque Mahumetanos ad catholicam fidem adduxit. Iamque in eo erat ut in Indiam ad Evangelium in Missione Magni Mogolis praedicandum traiceret, cum Matriti, die 15 septembris 1667, pie in Domino obiit.»

Apud Patres Societatis Iesu illius temporis, magnum vigebat studium Evangelii Mahumetanis praedicandi. Ex testimonio huius principis Muslimi primo Christiani facti, dein Jesuitae et sacerdotis, ex aliis quoque testimoniis illius aetatis, licetne autumare Islamitas in re religiosa non ita pertinaces tunc se ostendisse ac nostris diebus? In factis supra relatis, animadvertisenda est quoque brevitas temporum interectorum tum inter baptismum anno 1656 et ingressum in noviciatum anno 1661, tum inter noviciatum et ordinacionem sacerdotalem «biennio post». Quae brevitas non est usus Societatis Iesu, quae plerumque suos tirones ante sacerdotium diu exercet et instituit. \*

De Mahumetana autem religione longe lateque tractatum est in libro quodam Amstelodami anno 1633 edito, cui titulus est "Arabia seu Arabum vicinarumque gentium orientalium leges, ritus sacri


et profani mores, instituta et historia"; in quo (p. 80-81) explicatur quibus suasionibus Mahumetani homines attrahant ad suam religionem:

Immo praescriptum est illis, ut si proprio sanguine Principi opem ferre nequeant, sua saltem pecunia ac bonis ei succurrere teneantur. Suisque proponunt, si quis ipsorum in bello moriatur, statim in caelum evolaturum; propterea certatim quemlibet laborem aggredi ac omnia ad necem pericula subire non dubitant.

Hac de causa solent apostatis, qui ad Moslemannicam transeunt professionem, sagittam tradere, quam digitus index sursum erectus sustentat. Sagitta quidem bellum adversus fidei suae hostes denotat; unicus autem digitus, Dei unitatem contra Christicolas, qui Sanctissimae Trinitatis personas veracissime credunt, indicat.



raecipitur etiam decertatio ac pugna contra suae fidei hostes: Mohamedes enim in mandatis habuit, ut non amplius Christi exemplo, humilitate, precibus, suasionibus ac monitis ad legis observationem homines induceret, ast ferro ac bellis fidei resistentes invaderet, et tamquam Divinae iustitiae vindictarius iste in transgressores animadverteret, pertinaces ac perfidos pro tanto scelere ulciseretur. Obtemperantibus vero, et ulti huic legi se dantibus, innumeritas feminas pulcherrimas, voluptates copiosissimas, flumina multa lacte et melle scatentia, paradisos septem bonis omnibus affluentibus pollicetur.



## DE NOVIS LIBRIS

**Hermann HESSE fabula romancia, quae inscribitur "Sub rota". In Latinum vertit Sigrides ALBERT, Saraviponti, ed. Societas Latina, 1994.**

Quaestio quaedam impudens: acciditne saepe, ut librum Latinum eodem studio usque ad finem legatis, quasi esset fabula romancia? Age, age, fatemini: non ita saepe, nonne? Tunc curratis ad hanc Hermanni Hesse fabulam emendam. Non solum Sigrides Albert eam vertit in optimum sermonem Latinum, sed eam ita vertit ut spiritus romancius respiceretur. Quid autem est bona fabula romancia, nisi liber quem deponere non possumus antequam ultimam paginam attingamus?

In periodicis litterariis mos est primam fabularum paginam proponere, qua lectores allicantur. Ego lineas subiunctas paulo longius excerpti (pp. 18-19). Iohannes Giebenrath, heros fabulae, puer studiosus, spes oppiduli sui, Stutgardiam cum patre profecturus est ad examina subeunda vel potius superanda:

*"At fuit res inaudita. Nam dominus rector, quamvis hora matutina esset, ipse ad stationem ferriviariam venire dignatus est. Dominus Giebenrath iacca laciniata nigra induitus prae excitatione, gaudio contumaciaque tranquille stare nequivit; idem perturbate rectorem atque Iohannem trepidans circumibat, a praeposito stationis atque ab omnibus officiatis ferriviariis bonum iter atque optima quaeque in examen filii sui sibi exoptari sivit, et riscum suum parvum rigidumque modo manu sinistra modo manu dextra tenuit. Umbrellam modo sub bracchio tenuit, modo inter genua posuit, interdum eam cadere sivit, tunc unaquaque vice riscum depositum, ut eam iterum sublevare posset. Putandus erat in Americam iter facturus esse neque tessera itus redditusque Stutgardiam. Filius autem omnino tranquillus esse videbatur, tamen timore occulto eius guttus suffocabatur.*

*"Tramen ferriviarium advenit substitutique, in scendebatur, rector manu signum dedit, pater sigarum accendebat, infra in valle oppidum atque fluvium disparebant. Iter autem utrique erat tormento.*

*"Stutgardiae autem pater subito vividus factus est et laetus, affabilis urbanusque fieri coepit; incitatus erat voluptate viri municipalis, qui per nonnullos dies ad urbem residentiae venit. Iohannes vero taciturnior timidiorque siebat..."*

[Societas Latina, Universität, FR 6.3, D-66041 Saarbrücken.]

F.D.

**Marci Tulli Ciceronis Topica. Edidit, commentario critico instruxit Georgius Di Maria, Panormi, L'epos, Bibliotheca philologica n° 1, 1994.**

Nemo nescit theses doctorales olim Latine scriptas fuisse. Nonnulli sciunt linguam Latinam ad theses conscribendas in usu fuisse paene usque ad nostrum saeculum; in Francogallia, exempli gratia, Iohannes Jaurès Latine tractavit «De primi socialismi Germanici lineamentis apud Lutherum, Kant, Fichte et Hegel» (1891), Romanus Rolland «Cur ars picturae apud Italos XVI saeculi deciderit» (1895), Mauritius Blondel «De vinculo substantiali et de substantia composita apud Leibnitium» (1893). Quis autem scit rem adhuc fieri posse? Nisi fallimur, quamquam consuetudo est amissa, nulla lex obstat quin theses praeparentur Latinae... sola difficultate posita in inveniendo professore, qui alumnum in hanc viam ducere velit.

Georgius Di Maria pro suo Latinitatis viva amore effecit, ut doctoratum defenderet totum Latinum. Quo proponit novam editionem Topicorum Ciceronis, collatis non solum omnibus codicibus, sed etiam testimoniis indirectis indicisque stili Ciceroniani. Describuntur codices eorumque similitudines vel dissimilitudines, una cum catalogo. Sequitur editio critica Topicorum atque capitulum, quo de textu constituendo agitur. Lectoribus non solum explicationes scientificae placebunt, sed etiam Georgii Di Maria eximia Latinitas.

[L'epos, Palazzo Speciale, Via G.M. Puglia, 2, Palermo]

F.D.

**Rainardus BRUNE, Avoine sauvage. Avena strigosa. Essais poétiques français. Conamina poetica Latina. Leichlingae, domus editoria Rainardi Brune, 1994.**

En editus, ut verbis Catullianis utar, "lepidus novus libellus arida modo pumice expolitus". Elegans etenim apprime atque dignus qui contineat carmina musica est ille libellus qui nova Rainardi Brune poetae continet poemata ut pretiosos lapillos. Ars primum enim typographi, lectoris mulcet oculos antequam legat librum. Tenere librum in manibus et sentire digitis texturam cartae pretiosae, litterarum e plumbo liquido confectarum mirari venustatem, imagines multas a Wilhelmo Schürmann, optimo artifice Leichlingano delineatas aspicere, sunt iam prima gaudia huius libelli et quae quasi portam aperiunt poeseos. Vates nobis



bene notus est Rainardus Brune, secundus scriptor etiam variorum librorum Theotisce exaratorum neque neglegens musarum Latinarum et Gallicarum. Fuerunt enim ei hae ambae linguae miracula prima adulescentiae cum invit mundum humanisticorum studiorum et mansere illae in profundo cordis eius, adiuvantes eum etiam inter tempora duriora et iucundiora vitae.

"Avena strigosa modeste ac parce vicitat nec superbit, sed quasi abscondita in secreto camporum susurrat in aures eorum qui eam audire volunt cantum profundum naturae. Sic placuit poetae haec avena quae etiam equitis nutrit fidelem et nobilem amicum equum. Hic non loquar de carminibus Francogallice scriptis sed liceat mihi dicere quantum suavia et bene sonantia mihi visa sunt. Vera vis poetica in eis percipi potest. Rainer Maria Rilke cum Francogallice etiam cecinit non elegantius fecit. Sed antrum camenarum Latinarum intremus. Placuit auctori rythmus ut est in carminibus mediaevalibus, rythmus vere equestris, rythmus sonans et melodus qui dicit lectorem inter paginas libelli. In carminibus in quibus semper pietas vatis apparet, variis coloribus exprimuntur sensus vere humani, quaedam tristitia temporum fugientium, dulces recordationes amorum. In hoc libello humanissimo poeta nobis communicat pulchre quid sit pulchra vita, et quis melius nos in hac re docere potest quam altissimus poeta? Honor altissimo poetae."

[Reinhard Brune Verlag Leichlingen, D-42799 Leichlingen]

Alanus VAN DIEVOET


**Tuomo PEKKANEN, Jouko JOKINEN, Mämmiä saatana. Latinalainen kuvakirja, Helsinki, Yliopistopaino, 1994.**

Hic liber lectoribus Finnicis destinatus est cum tantum Finnice sit conscriptus. Propositum Thomae (Tuomo) Pekkanen est sententias Latinas breves, inter quas nonnullas famosas, animis popularium suorum inculcare, iuvantibus imaginibus evidentibus, acribus quin etiam iocosis salacibusque.

Nimis raro eduntur libri ad linguam Latinam vulgarizandam idonei. Gratulemur ergo oportet Thomae Pekkanen, qui rem temptavit. Quamquam hoc opus specialiter spectat ad Finnos, alii etiam delectari poterunt selectis sententiis artificiose illustratis.

[Yliopistopaino ja tekijät, PL4, Vuorikatu 3A, SF-00014 Helsingin yliopisto]

G.L.



## DE PHONODISCIS LATINIS

**The Legend lives forever in Latin. Doctor Ammondt, Stop Records SR-103**

Novus phonodiscus in Finnia editus! Nuper (cfr Melissam 63) actum est de phonodisco c.t. "Tango triste"; iidem auctores (Doctor Ammondt cantator, Teivas Oksala Latinista) nunc Elvisum Presley fecerunt Latinum. Quis non novit famosas cantiones, quibus titulus est 'Love Me Tender', 'It's Now or Never', 'It's Impossible'? Latine nunc cantantur: 'Tenere me ama', 'Nunc hic aut numquam', 'Impossibile'.

De quibus Latinis versionibus Teivas Oksala scripsit hoc: "Nos quidem - ut ita dicam - cantorem illum latinizavimus et vice versa linguam Romanorum antiquorum elvizavimus!"

Si quando vester subministrator phonodiscorum compactorum non potest hunc discum Finnicum vobis praebere, litteris interrogetis auctorem Latinum Teivam Oksala, Jyväskylän yliopisto, Kirjallisuuden laitos, PL 35, SF-40351 Jyväskylä.

**Flamma flamma, The fire requiem. Nicholas Lens, Sony classical SK 66293**

Robertus DEPREZ illum discum invenit, de quo hanc ad nos misit relationem enthusiasmo plenam:

"Adhuc hodie opera musica Latine perficiuntur! Compactum discum mihi comparavi, cui titulus 'Flamma, flamma', a musico Belga Nicolao Lens compositum; genus est id, quod verbo 'requiem' vulgo vocatur, sed modo profano factum. Musica vocesque sunt per pulchrae, mysticae, interdum exoticae; easque libelli auctor, Hermannus Portocarero, verbis Latinis ditavit, e quibus nonnulla hic excerpti:

Flamma flamma	ut animam liberes
ex sole et stellis surrepta	ut tenebras vincas
audacium lux	te consecramus.
amoris ardor	

"Scriptum, quod discum in theca plastica comitat, quibus de causis auctor textum suum Latine exaraverit, explanat. Ibi, inter alias, proprietates musicales linguae Latinae laudantur. Si occasio vobis datur, ut discum illum audiatis, non dubito quin eum omnibus ferventer commendaturi sitis."



# LATINITAS VIVA

UBI COLATUR

## CONVENTUS INTERNATIONALIS ACADEMIAE LATINITATI FOVENDAE

A Thoma Pekkanen *Finno hic nuntius ad nos missus est:*

Academia Latinitati fovendae die vicesimo tertio mensis Novembris Romae sessionem habuit, ubi imprimis de nono eius conventu internationali agebatur. Placuit Academiae, ut ille conventus apud Finnos in urbe Jyväskylä (quae Granivicus Latine appellatur) a die sexto ad tertium decimum mensis Augusti anni 1997 celebraretur. Argumenta in conventu Jyväskyläensi (Granivicensi) tractanda proposita sunt duo:

1. "De relationibus orbis Latini in terras septentrionales antiquis et mediaevalibus"
2. "Quomodo lingua Latina hodie doceatur"

De lingua conventus Granivicensis **Academia unanimiter statuit, ut omnes orationes, acroases relationesque Latine pronuntiantur**, quamquam in colloquiis et disputationibus extemporalibus nec non in actis postea edendis etiam maiores linguae modernae approbarentur.

Die sequenti Academia sessionem extraordinariam habuit, ut in Statutum vigens aliquot mutationes induceret. Omnes minoris momenti mutationes a praesentibus sunt approbatae. De articulo autem secundo, ubi de lingua Academiae officiali agitur, opiniones sodalium tantum inter se discrepabant, ut illa quaestio in sessionem Apriliem differretur.

## SEMINARIA LATINA

In seminariorum Latinis, a Societate Latina Saravipontana institutis, participes inducuntur ut Latine loquantur. Moderator peritissimus est Dr P.C. Eichenseer, qui talia seminaria ab anno 1973 solet suscipere; D.rix S. Albert tirones delectabiliter adducit ad Latine loquendum.

**Morsaci (Morschach) in Helvetia a die 30 mensis Iulii in diem 5 mensis Augusti a. 1995**  
supra lacum "Quattuor Regionum"

Scribatis ad: SOCIETATEM LATINAM  
Universität - FR 6.3  
Postfach 1150  
D-66041 Saarbrücken

**Vavriae (Wavre) in Belgica a die 11 in diem 18 mensis Augusti a. 1995**

non longe ab urbe Bruxellis  
Scribatis ad: Gaium Licoppe  
Avenue de Tervueren, 76  
B-1040 Bruxelles

## FERIAE LATINAE

a Dre Suitberto Siedl OCD institutae. Moderatores eas fieri volunt "Tusculum quoddam ubi cum Cicerone, Cassiacum ubi cum Augustino, Cenaculum ubi cum Hieronymo..."

**in Carinthia a die 20 in diem 25 m. Februarii a. 1995**

Scribatis ad: Felicem W. Kucher  
Bildungshaus St. Georgen  
A-9313 St Georgen / Längsee

**Nicaeae (Nice) in Francogallia a die 27 mensis Augusti in diem 3 mensis Septembris a. 1995**

Scribatis ad: Clementem Desessard  
Résidence des Collines, C 9  
500, Rue Léo Brun  
F-06210 Mandelieu